

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 25: De visitatione familiaritatis mulierum (17)

Augustinus:

Asper sermo brevis et rigidus cum mulieribus est habendus,
nec quia sancte sunt ideo minus cavende.

Quo enim sanctiores sunt, eo magis alliciunt,
et sub pretextu blandi sermonis immiscet se viscus libidinis.
Crede michi,
episcopus sum in Christo, loquor non mentior.
Cedros Libani et gregum arietes
sub hac peste corruisse reperi,
de quorum casu non minus presumebam
quam Ieronimi et Ambrosii.

[fons nondum repertus]

Quanto religiosiores videntur, tanto citius alliciunt,
et sub habitu sanctitatis et pietatis latet venenum libidinis.
Experto, Fratres mei, credite.
Episcopus loquor coram Deo, et novi quia non mentior:
longas cedros Libani, magnos duces gregum famosissimosque,
omni sanctitate ornatos, sub hac peste cecidisse conspexi;
de quorum casu non magis suspicabar,
quam de Ambrosii vel Hieronymi impudica turpitudine.

Augustinus (pseudo) Belgicus, *Sermo de assumptione Beatae
Mariae Virginis*, 6 (PNB 1, A. Mai ed., p.454).